



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

n. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1582. sanctis cogitationibus, & rogatus à me postea vt haberet curam suæ animæ rediretq; ad vnitatem Ecclesiæ, promptiorem se præbuit ad præstandū quàm ego esse poteram in rogando. Initio tamen (quod oblitus eram dicere) requirebat à me valde, aliquam cōmendationem ad Reginam Scotiæ, ex quo D. Redman poterit conijcere quo ei opus sit si in hac partes veniat. Hinc transiui per alium Baronē è familia Setonenſi hæreticū valde in cuius mensa infinitas & horrendas Blasphemias audiui, sed nè verbum quidem dixi, donec finitâ carnâ per horam opinor & dimidiam sermonem cum illo habui contra huiusmodi blasphemandi ferocitatem, multis vtrimque habitis argumentis, quibus absolutis mihi egit humanissimè gratias promittens se in posterum minori vchementia vsurum in Catholicos, & domum suam tam mihi quàm cæteris Catholicis Anglis semper fore paratissimum hospitium. Tandem Ederburgum deveni vbi erat Aula Regis; sermonem habui cum diversis nobilibus, vt cum D. Setono Patre, & D. Priore filio eius, alijsq; quibus causam mei adventus significavi, & desiderium nostrum in salutem ipsorum: illi benignè me tractarunt, & ad Regem ipsum me duxerunt, cum quo quid locutus sim autegerim non debeo his literis committere. Ab aula recessi ad Palatium Rusticanum D. Baronis Geronis, vbi non pauci Scoti nobiles cōuenerant, qui vno ore mihi promittebant, & per me Domino Redman renuntiare volebant, quod quandocunq; nobis venire placeret (quod illi nos breuè facere luadebant) se velle securitatem summam præstare, eo quod essemus Angli, nec eorum legibus obnoxij. Plura etiam promittebant de Rege ipso quæ hic omitto, nec solum nobis protectionem promittebant, verum etiam alijs à nobis missis per secreta signa quæ alijs literis aperiam. Nomina eorum qui fauent Religioni Catholice & qui possunt facillimè iuuante Deo boni fieri si diligentia adhiberetur, sunt hæc, licet adhuc longè sint à statu gratiæ: Dux D'Aubenus, Comes Huntleius, Comes Eglintonus, Comes Cathnacijs, D. Baro Setorius, D. Baro Oglebi, D. Baro Grey, D. Baro Farnhurst, & quidam alij quibus noster labor nec inutilis erit nec ingratus, modò oneri illis non simus; hoc enim summopere Domino Redman providendum est, vt habeat vnde sustentet eos quos huc direxerit, salutem ad aliquod tempus, alioquin difficillimè quicquam efficiet, imo puto quod nihil efficiet. Providendum etiam illi est, vt non nisi selectissimi huc mittantur, tam ob virtutem, quam eruditionem; si hos modo non habeat, expectandum erit donec habeat. Melius est enim nullos mittere quàm inidoneos; poterunt enim tales valde obesse, his maximè principijs, vbi tota auctoritas & existimatio causæ Catholice ab eruditione eorum quæ eam tumentur dependet. Procuret D. Redman orationes multas pro hoc opere; est enim maximum, & ad totius Europæ commodum non parum vt vides pertinens; si vnquam orandi aut laborandum fuit nunc est maximè. Vale.

IV Has literas recepi 15. Septembris. Et quia temporis angustijs & aliorū negotiorum multitudinæ prohibebatur ne illis satisfacerem, & ad diem præscriptum



scriptum in Scotia esse, feci id quod potui, hoc est, scripsi statim ad D<sup>m</sup> 1582.  
 Setonum, significans causas moræ, & cohortans illum quibus poteram rationibus ut desiderium illud suum tueretur de sua & aliorum salute; adjiciens eum breui plura à me recepturum de toto negotio. Scripsi etiam in Angliam ut quibus modis posset cum Regina Scotiæ tractaretur de articulis superscriptis, promittens me breui affuturum ad cætera prosequenda, sicut intelligo vehementer me requiri; ad sacerdotem etiam hunc scripsi ut subsisteret ad tempus in locis vicinis Scotiæ, donec aliud à me responsum acciperet. Misit illi etiam quæ poteram in sustentationem: iam ergo pendeo totus in hoc negotio à Vestra responsione. Primum, An prosequi debeam hoc negotium necne, quod omnes Angli Catholici vehementissimè supra omnem modum me urgent ut prosequar, quia à conversione Scotiæ dependet tota spes humanæ conversionis Angliæ; & si Rex iste semel confirmatus fuerit in Hæresi (quæ sine dubio periculosissimè infectus est) nihil auxiliij aut refugij relinquetur miseris Anglis; si Scotia illis pateat ut in eam fugiant infinita consolatio est; & nunc facilis est aditus ad Regem ipsum, & ipse satis flexibilis est; postea forsitan non ita. Deinde etiam erit optimum nobis ut vitandæ sæuissimæ alicuius tempestatis causâ mensera aliquem in Scotia consumamus: Scoti ipsi licet aliquot habeant viros valde idoneos (quos omnes mittendos cupimus) tamen pauci sunt, nec ullo modo sufficiunt tantæ vineæ, præsertim hoc tempore quo maximè requiruntur. Nam hoc biennium quod sequitur unicum videtur tempus lucrandi Scotiam, dum illi gubernant multis in locis qui nobis non multum (præsertim exteris) resistunt, Nullæ enim leges contra nos factæ sunt, & idioma nobis commune est cum Scotis. Procuravi etiam ut libri Catholici impressi in posterum transferantur in Scotiam æque atque in Angliam; libros intelligo idiomate vulgari tam de controuersijs quàm de rebus deuotionis conscribendos, quales adhuc vel nulli vel paucissimi in Scotia visi fuerunt, quia Scotia nullum prælum habet, & hæretici libros suos in Angliam impimunt. Horum autem librorum defectus fecit ut Scotia multo magis laboret hæresi quàm Anglia.

Si videbitur V. P. ut hoc negotium sequar, tunc præter instructiones quas à vobis peto, necessarium etiam est ut proponatur suæ Sanctitati nostrarum necessitatum consideratio aliqua saltem ad aliquod tempus. Nam hæc res confici non potest sine pecunijs, ut ex superioribus literis videri potest. Nam Scoti ipsi præterquam quod pauperes sunt & egentissimi non habent adhuc eum causæ Catholice zelum ut velint aliquas expensas facere. Multum se nostri causâ facere existimant si equos nobis præstant & aliquam protectionem porrigunt. Angliæ autem Catholici sic undiq; sunt exhausti ut sibi & suis incarceratis (qui plurimi & afflictissimi sunt) sufficere non valeant. Ego tamen plusquam mille aureos in has res ab illis donatos expendi; quia tamen non ignoro suam Sanctitatem plurimarum expensarum virgeri oneribus valde sanè me piget aliquid ab eo petere. Si tamen ex sua summa benignitate



1582.

vellet nobis quadringentos aureos annuos ad duos vel tres annos cōcedere, non dubitaremus multum posse in hoc negotio profici ad magnam suæ Sanctitatis consolationem & Reipublicæ Christianæ commodum. Nam hac pecunia potero saltem vestitum aliquem, equos, cæterumque apparatus Sacerdotibus in Scotiam mittendis parare, licet non tantum quantus itineri tanto trecentorum circiter milliarium necessarius esset, sed valde contenderem ex quo tantum boni pendere videmus. Itaque summopere S. P. rogo, & rogante vehementer omnes hic Catholici, vt hoc negotium apud suam Sanctitatem promoueas, & vt quàm citissimè fieri potest respondeatur de eo quod statutum erit. Videt enim V. P. quibus in angustiis versamur. Si lucrifacere poterimus hunc iuuenem Principem Scotiæ maxima nobis esset consolatio; si placuerit suæ Sanctitati hanc misericordiam nobis facere, quàm speramus certè, & fere de sua bonitate præsumimus, tunc assignari debet hæc pecunia soluenda Nuncio Apostolico Parisijs, vt quater in anno, hoc est vnoquoque trimestri, soluat centum aureos illi de quo significabitur per Eusebium Eugenium, qui forsitan erit hic Rothomagensis Archidiaconus: Ante festum natalis Domini expectamus certissimam vestram responsonem, ad primam solutionem pro anno sequenti, hoc est, centum aureorum. Et si suæ Sanctitati videbitur, vt hac prima sola vice possēmus ducentos aureos recipere (quia multa paranda sunt) esset nobis gratissimum, deinceps non expectabimus nisi centū aureos singulis tribus mensibus. Sed de pecunia nimium, nisi pro necessitate, & certè perdolet nos sæpissimè, quod spiritalia non possunt his locis fieri nisi his vilissimis pecunijs. De Italo quem petunt, V. P. videat quid statuendum sit; vir mediocris his rebus satisfacere non potest, & scio aptissimos vobis vestrisque ibi rebus tam necessarios esse vt non possint nobis concedi. Quid ergo faciendum erit vobis relinquimus cogitandum: præstat sanè non mittere, quàm non idoneum, quia lædet plurimum tum totius causæ tum maximè Societatis existimationem: Plura enim multò ab eis expectabunt quàm à nobis qui Angli sumus; si Pater Achilles venire posset esset, opinor, commodissimus. P. Bellarminum non audeo postulare: P. Ferdinandus non mihi displicet propter alia quæ in illo sunt præter eruditionem. Hispanus qui mittendus dicebatur ab omnibus valdè idoneus iudicatur, licet ob virtutem aptissimus, quia nec in humanioribus literis & linguis, quarum hic summa ratio habetur, nec in Theologia & Controuersijs àdmodum versatus est. Hæc Dominus Bernardinus de Mendoza orator Regis Hispaniæ mihi retulit, antequam ego sciebam illum esset mittendum; sed ille rem expiscatus fuerat: Est enim nostrarum rerum & Societatis amantissimus: & promiserat se in domum suam recepturum libentissimè Hispanum Societatis, si vir illustris esset, vt existimationem causæ tueri posset; alioquin nullo modo se velle illius auentui consentire; quia difficile est, inquit, vobis existimare quantum offensionis & scandali contingere posset vniuersæ causæ ex vestrorum hominum defectibus vel minimis si publici sint; hinc enim ad maiorem inuidiam



uidiam nobis concitandam incipiunt totam caulam nostro solum nomine 15826  
 oppugnare, & appellant Religionem Catholicam Religionem Iesuitarum :  
 sic enim edicta fuerunt emissa nuper ad Academias Oxoniensem & Cantra-  
 brigiensem, ad inquirendum qui Iesuitarum Religioni fauerent, & omnes  
 studiosè ad iurandū adigebant, num aliquem Iesuitis vel Iesuitarum Religioni  
 fauentem agnoscerent vel suspicarentur. Itaque iterum atq; iterū vestrā Paterni-  
 tatem rogo vt non mittantur huc nisi homines valde idonei; si loco D. Die-  
 gi, D. Petrus Ximenes, aut D. Emmanuel Vega missi fuissent ( si doctiores dari  
 non poterant) multo fuisset melius, quia illi in humanioribus sunt literis ex-  
 exercitati. Ius autem Canonicum, cuius D. Diegus Professor erat, nullius apud  
 hæreticos est momenti. Hæc præsumpsi simpliciter & perspicuè. T. P. expo-  
 nere, omnia tamen suo iudicio statuenda referens. Pro negotijs nostris me-  
 liūs expediendis & adiuuando vtroque Regno magis, designaui iam duos mer-  
 catores Iuuenes ad hoc electos; sunt tamen docti, qui prætextu quorundam  
 mercatorum magnorum quibus inferuire dicuntur, alter in Angliam, alter  
 in Scotiam ibunt, & redibunt in has partes summa cum libertate & securita-  
 te. Illi autem vtrā secum merces quasdam habebunt quas statim à catholicis  
 coëmi procurabimus; Ita enim horum mercatorum sumptus aliquo modo  
 supportari poterunt, ac præterea nostris rebus incumbent, præcipuè verò im-  
 portantis libris, literis, alijsque rebus necessarijs, quamuis & merces quas-  
 dam habeant ob meliorem prætextum: Hodie alias literas ex Anglia recepi,  
 quibus intelligo me valde desiderari, maximè ab incarceratis, vt de elemosy-  
 nis prouideam: Alij potentiores & prudentiores vrgent vt in negotio Scotiæ  
 aliquid præstem antequam iterum Angliæ periculis me committam. Addunt,  
 posse me per literas, & per D. Gasparem cæteris rebus ad tempus subuenire,  
 quod non omitto. P. Gaspar hebdomada præterita venit Londinum ex Pro-  
 uincia quæ illi incumbit cum bona elemosyna ad incarceratos subleuandos;  
 quo tempore etiam ad me scripsit, significans summa se esse in gratia apud  
 principes viros eius Prouinciæ; Pater Guilielmus ægrotauit aliquantulum  
 post aduentum, sed conualuit, & strenuè laborat. Iterum scribunt de Italo  
 quem apud Regem Scotiæ tanquam linguæ Italicæ præceptorem esse vel-  
 lent. Si mittatur aliquis, veniat ad domum prædicti Archidiaconi Rhotomagen-  
 sis, vbi omnia parata inueniet, & accuratam à me directionem. Rhe-  
 mos & Parisios declinet propter suspensionem. Mihi autem scribatur sub no-  
 mine D. Rolandi Cabeli Mercatoris. Scripsit Dominus Alanus de auctorita-  
 te dispensandi in casibus occurrentibus committenda Nuntio Apostolico  
 Parisijs, & de imprimendis horis Beatæ Virginis latino-Anglicis; Oblecto  
 V. P. Vt hæc promoueat apud suam Sanctitatem, plurimis enim erunt  
 consolationi. Vale.

Q

V. Impetrato